



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

2. Decembris. Vsu ipso, & experientiâ docemur, non ignavos, & tepidos, sed ardentés, & gnavos in obsequio divino animi pace, & tranquillitate potiri. S. Ignat. Epist. ad Hispan.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

culices percolaverant, dein camelos glutire incipiant. Hoc nempe captiosæ san-
ctitatis lucrum, hæc dæmonis intentio est.

2. Decembris.

*Usu ipso, & experientiâ docemur, non igna-
vos, & tepidos, sed ardentis, & gnaros
in obsequio divino animi pace, & tran-
quillitate potiri. S. Ignat. Epist. ad
Hispan.*

Quam demens esset, qui per avia quaereret, quod domi poterat reperire: procul quaerimus, quod propè habemus, per alienas januas ejus stipem mendicamus, quod in manu nostra est, & ipsi nobis dare, imò soli, possumus.

Magna hæc felicitas veræ hac in vita felicitatis est, quod personalis sit, non realis, in nobis, non in rebus nascitur, & vivit.

ev/ Quisque suæ lætitiæ patrya est, & Mater. Animum consule, fervorem attende: quantum hic, tanta etiam animi tranquillitas erit.

Quilibet opifex id maximè satagit, ut suæ artis opus nullius oburgationi pateat: cur opera nos, quæ agimus censuræ, imò indignationi divinæ obnoxia volumus? totum pretium hominis, non tam opus, quam fervor est.

Solùm finè vitii esse, lignea bonitas est; ad majora tendat, qui laudem vult mereri. Quæ agit, agat bene, agat, ut meliùs non possit. Pauca ferventer, plurimis perfunctoriè actis, præponderant.

3. Decembris.

In conservatione primi spiritûs, quasi omnis vita est Religiosorum catuum. S. Ignat. apud Orland. l. 6. n. 34.

IN aliis natura solet à parvis initiis res ad majora provehere; oppositum gratia sectatur ordinem, tantum principiò fervorem tribuit, ut satisfacisse censendus sit, qui proximus illi accesserit.

Dei providentia tantâ Religionum primipilos virtute ornat, ut optimam agendorum Ideam efformet; qui eorum vestigiis fideliter insistit, is veram in se virtutis imaginem efformabit. Illuc respice, quâ sis origine?

Heroum esse filios ignominia est, nisi Majorum gloriam factorum præstantiâ mercemur. Illorum gesta calcare esse debent ad virtutem, ne degenerem aquila columbam videatur genuisse.

Fovendus est primus calor, aliàs focus